

autem ex omnibus tribus peti debet. Pro singulari suo fauore, quem Tibi debeo, diuturnum inter nos erat colloquium, vbi Boerhaavius retulit, se desiderasse III. mensium spatium, antequam discessus meus fieri debeat. En quam laete succederent vota. Verum quod longe plus, Ille enarrauit tot auctores, quos mihi abituros comparare deberem. Maximum vero, quod velim admireris, fuit eius promissum, quod mihi, si Deus haec ita disponeret, vt ego petam loca illa, ostensurus sit suam collectionem plantarum, praecipue a Plumiero ipsi oblatarum, quem prae omnibus commendauit maxime. Haec sunt, quae Tibi breuiter referre possum. Jam sane magna spes occupauit animum, qui vix amplius contineri potest, quin iam auolet ante tempus destinatum. Vtinam iam decerperem [et] examinarem flores, vtinam iam semina collecta pararem transmittenda ad loca sua debita. Sed festinandum lente. Cogites rogo de alia voce in locum *puculati* substituenda. Respondeas quantocyus Tuo aeternum deuinctissimo

Lugd. die ☉. 16 Dec. 736.

I. Bartschio.

Utanskrift:

*A Monsieur  
Monsieur Linnæus  
Docteur en Medicine*

à

*by myn Hr Cliffort.*

*Hartekamp.*

Linn. Soc., Vol. I: 371.

Af detta bref framgår, att underhandlingarna om den lediga läkareplatsen i Surinam försiggingo redan 1736 och ej 1738 såsom Linné i sina *Egenhändiga anteckningar*, s. 30. uppgifver.

104.

Fautori suo æstumatissimo

S. P.

Ioannes Bartsch.

Debitas pro vnctione transmissa vltima persoluo grates, nullus dubitans, quin ea viribus suis neuliquam destituta, sit remedium vniuersale potentissimum, cuiquam adplicari debeat, nescio. Quid sibi velint primae epistolae Tuae lineae, me fugit arcanorum imperitissimum. Dedicationem, si Tibi placeret, suaderem retinendam illam, quae a societate transmissa<sup>1</sup>. Auctorum nomina apud me sancte adseruantur. Jamdudum dubitauit,